

tur, quòd *Aristoteles* quòque & *Sophocles* agnoscunt. *Hec Vossius.*  
 Hæc etiã nos hæctenus. *Noster* jam elaboravit istud Problema,  
*An viro Politico liceat dona seu munera accipere?* quod ex ipso au-  
 dietis, & ut audiatis, ego & ipse rogamus. *Moyſes* sanè sumum  
 heic rigorem ostendit in *Exodo*, *Levitico* & *Deuteronomio*, ne Judi-  
 ces accipiant munera, ut, quod *Glossa* habet *ordinaria*, *vivant per*  
*gratiam in tempore* & *gloriam in futuro*. Si ad *Virgilium* eas, *Re-*  
*gem* audies loquentem, *Munera nec sperno* (*VII. Æneid. v. 261*) quod  
*Vossius* in *partitionibus Oratoris* liberalissimè exponit per *Lubens*  
*accipio*. Ergò a Jove majori discit amare minor: statuit nempe  
 cum *Cicerone* (*qui l. XV. epist. 6. ad Catonem* de Honore ita sentit) ut  
 non nimis concupiscenda, ita si deferantur, minimè aspernanda  
 videri. *Δωροφάγία* ergò prohibetur, non *δωροληψία*, *captare* non  
*capere* aut *sumere*. Quamquam hæc ætate *ferreã* (nisi *plumbeam*  
 appellare mavelis, *stannea* certè non est)

parcus dator sit munerum & infrequens,  
 insanientis dum sapientiæ  
 credunt haberi, largiendo  
 optima facta remunerari,

plerique etiã munerarij fiant Mandrabuli

Prodigus & stultus donat quæ spernit & odit,  
 ut est apud *Horatium* (*lib. I. epist. 7.*) quem omninò vide, congruit  
 enim cum convivio vini jam acescentis & ferinæ putrescentis,  
 quod est apud *Vossium* (*lib. II. Partit. Orator. c. 6. §. ult.*). Dona mul-  
 torum sunt instar contractuum innominatorum. Ita pono: sed in  
 eò sensu, quò frequenter utitur in suis *Commentarijs* *Johannes*  
*Drusus*. Optima, tutissima & utilissima sunt dona divina, quæ  
 deplunt ex *umbraculo Altissimi* & gravissimis verbis recensentur  
 in *Psalmo nonagesimo primo* *Abbatis Claravallensis* sermonibus  
*XVII.* explicatò, quem *Gottlieb Siegemund Borbergk* *carmine hexa-*  
*metrò Latino & Germanico Alexandrinò* à se conversum subjiciet. U-  
 terq; sunt filij Virorum de Vostrâ *Republ.* bene meritissimorum,  
 quod pro certo argumento gratiosæ audientiæ accipio.

P. P. Budissæ mense Martio anni M DCLXXI.